

quaquam tenetur: hinc nummus praemium dicitur. Aliter vero sese res habet, si pater nummum aureum solverit praeceptori, qui filium in aliqua disciplina erudiret: pecunia illa solvitur ex contractu pro opera praestita, et merces vocatur. Igitur qui praemium dat, minime obligatur; et obligatur, qui mercedem solvit. Malum cum actione necessario connexum dicitur *poena naturalis*; quod vero connectitur cum actione libera ex legislatoris voluntate, dicitur *poena positiva*. Similiter bonum cum actione necessario connexum, vocatur *praemium naturale*; quod vero connectitur cum actione libera ex mera dantis voluntate, *praemium positivum* appellatur. Has autem definitiones explicabimus, additisque exemplis in bono lumine collocabimus. Praemium positivum ex *dantis* voluntate, poena autem positiva ex *legislatoris* voluntate proficisci dicitur. Et quidem praemia ab aliis, quam a legislatore saepius liberaliter conceduntur; at poenae in iure civili non possunt infligi, nisi ab eo, qui habet ius puniendi, nempe a legislatore. Porro in praecedentibus definitionibus *mali* nomine intelligi debet malum *physicum*, quo nempe ob malum *morale* aliqui castigatur. Accurate autem distingui debet *poena naturalis* a *poena positiva*. Haec ultima ex mera legislatoris voluntate pendet; *poena autem naturalis* per se inevitabilis est. Ita homo intemperanter vivens corporis vires labefactat et destruit; nec homo intemperans hoc malum evitare potest, quamdiu intemperantiae indulget. Simili ratione, mutatis mutandis, intelligitur discrimen inter *praemium natu-*

rale et *praemium positivum*. Inde etiam patet, quid sit discriminis inter obligationem *naturalem* et obligationem *positivam*. In obligatione naturali actio committenda repraesentatur tamquam *per se bona*; actio autem omittenda exhibetur tamquam *per se mala*. At in obligatione positiva actio committenda repraesentatur tamquam bona ex legislatoris voluntate, atque etiam ex arbitrio legislatoris tamquam mala repraesentatur actio omittenda. In eo igitur differt obligatio naturalis a positiva, quod illa *necessaria* sit, haec vero *arbitraria*. Si legi positivae adiciatur poena, haec poenae comminatio dicitur *sanctio poenalis*. Ita sanctio poenalis est lex, quae mortis poenam in fures decernit. Sanctio etiam poenalis est tremenda neque satis meditanda Christi Domini sententia, qua suppliciis aeternis damnantur reprobi.

II. Inter poenas divinas recenseri debent mala physica, quae ob perpetratas actiones malas ex rerum omnium nexu naturaliter hominibus eveniunt, tum etiam mala, quae ipsas hominum actiones consequuntur. Etenim Deus mundum universum gubernat, omniaque ad certos fines dirigit. Itaque mala physica suum habent usum atque finem a Deo intentum. Porro mala illa a Deo intendi non possunt, quatenus mala sunt: illa igitur intendit Deus, quatenus sunt bona, nempe quatenus sunt poenae, quibus homines improbi ob malum morale puniuntur, a malo ad bonum excitantur. Et re quidem ipsa sacra scriptura tamquam peccatorum poenas saepe inculcat mala physica, quae hominibus in hoc mundo accidunt.

Haec mala, velut poenas, legis transgressoribus significat Moses, comminantur prophetae; sed poenae illae improprie dicuntur mala; sunt enim hominibus bona, utilia, divinae iustitiae et bonitati consona. Ceterum diligentes observandum est, nos heic sermonem habere de praesenti rerum hominumque statu, neque ad hunc locum pertinent quaestiones gravissimae inter theologos agitari solitae, non enim moralem theologiam, sed philosophicam explicandam adgredimur. Porro quae diximus de malis physicis, contraria ratione intelligi debent de bonis physicis, quae hominibus ob bonas actiones eveniunt, nempe praemia divina sunt. Itaque actiones malae suas habent poenas naturales, atque etiam, si non semper humanas, saltem quae magis formidandae sunt, divinas positivas. Similiter actiones bonae sua habent praemia naturalia, itemque praemia positiva divina. At manifestum est, tamquam praemia haberi non posse bona physica, quae homini malas actiones perpetranti persaepe eveniunt ex naturali rerum nexu. Etenim quum Deo malum placere nequeat, quidquid boni physici hominibus malas actiones perpetrantibus contingit, ob malas actiones contingere non potest, ac proinde earum praemium non est. Itaque bonitati divinae acceptum ferendum est, si homo improbus in iis ponatur circumstantiis, sub quibus bonorum physicorum compos et particeps esse, iisque frui possit. Quare bona physica divinae erga improbos homines misericordiae testimonia reputanda sunt, quibus proinde homines ad meliorem frugem excitantur.

et reduci debent. Haec autem doctrina est omnino consentanea sacrae scripturae, quae passim commendat infinitam bonitatem, qua Deus immisissis in humanum genus malis physicis, nos ad poenitentiam invitat. Ceterum, quae pertinent ad mala physica, fusiùs explicavimus in metaphysicis institutionibus, ubi manichaeae haereseos restauratorem Baylium valide confutavimus.

III. Ex voluntatis humanae natura colligitur, ad servandas leges hominem obligari poenis atque praemiis. Etenim voluntas humana sine motivis sese non determinat; motivum *volitionis* est repraesentatio boni, motivum autem *volitionis* est repraesentatio mali: sed malum poena est, bonum autem praemium. Quare si legislator poenam et praemium cum lege aliqua connectat, his motivis homo obligatur ad servandam legem. Accurate autem observandum est, *obligationis* nomine nullam a nobis intelligi necessitatem, sed dumtaxat motivum agendi vel non agendi. Porro his motivis obtemperare vel resistere pro sua libertate potest humana voluntas. Re quidem ipsa non repugnat, ut aliquis nullo poenae metu, nulla praemii spe excitatus legem servet, hac sola ductus ratione, quod superior ita iubeat. Hic quidem obligationi naturali satisfacit, quum voluntas superioris naturaliter obliget inferiores (*ex dem.*). Qui eo sunt animo ad obediendum paratissimo obligatione positiva nullum opus habent. At quum obligationi naturali non satisfaciant omnes, positivi obligatio naturali addenda est, ut lex a pluribus servetur. Haec autem in sequenti conclusione ar-

gumentis plurimis confirmabimus. Hactenus sermonem habuimus de praemiis et poenis generatim consideratis, at de futuro alterius vitae statu gravissima quaestio est, totius religionis basis et fundamentum. Quamvis de hac veritate, quae timoris speique plenissima est, nullam dubitationem relinquat divina revelatio, quia tamen ex solis ethices principiis adversus incredulos impiissimosque homines demonstrari potest, ideo sit

CONCLUSIO.

POST CORPORIS MORTEM IN ALTERO VITAE FUTURAE STATU BONOS MANENT PRAEMIA, MALOS AUTEM POENAE.

Prob. 1. ex animae nostrae natura. Iam demonstratum est in metaphysica, animam nostram rationalem esse et liberam. Haec iustum ab iniusto discernit, intimo conscientiae testimonio morum principia novit, nosque ad certa officia natos esse cognoscit, supremum Dei in res omnes dominium profitetur, nostrasque omnes actiones ad divinam gloriam dirigendas esse ignorare non potest, si sua ratione utatur. Quisquis autem crediderit, animam tot eximiis facultatibus praeditam, quae ad rationem, ordinem et virtutem nata est, belluarum instar perire sine praemiis ullis aut poenis pro recto vel perverso facultatum usu? Animam nostram suis facultatibus convenienter uti vult Deus: et quidem sincera voluntate ad rectum earundem facultatum usum leges homini-

bus praescribit. Omni autem caret verisimilitudine, Deum omnipotentem, infinita bonitate et sapientia praeditum, suae legis observationem constitutis poenis et praemiis non urgere. Et quidem ipsi homines legislatores poenarum motiva suis legibus adiungunt, nec tamen obstantibus suppliciiis humanis, persaepe violantur leges. Nemo autem sibi persuadebit, Deum supremum legislatorem, qui rectum ordinem vult, nosque ad hunc ordinem creavit, ea neglexisse praemiorum poenarumque motiva et adiumenta, quibus ordo maxime promovetur. Et certe talis est corruptae huius naturae status, ut homines plerique sese carissimos habeant, et fere unice diligant. Porro si nulla essent in altero vitae futurae statu speranda praemia, nullaque timenda supplicia, iam malesano et perniciosissimo sui ipsius amori quisque indulgeret: omnia posthaberet rebus suis, ad augendas fortunas, et ad comparandam, quae sola speranda foret, huius vitae felicitatem: perversi homines nulla praetermitterent crimina, quoties poenas legibus civilibus constitutas liceret effugere. Itaque non solum pura animae nostrae natura, sed etiam praesens naturae per peccatum depravatae status, id omnino postulant, ut Deus O. M. bonis praemia, malis autem poenas in altera vita constituerit. Ceterum studiosi iuvenes haec data occasione legere debent, quae de animae immortalitate demonstravimus in metaphysica.

Prob. 2. ex divina iustitia. Et primum quidem praesentem rerum statum attente contemplabimur. Quamvis boni praeque homines vera sinceraque fruan-

tur felicitate, quae est bonum conscientiae testimonium, innumeris tamen exemplis comprobatum est, sanctissimos quoque homines malis physicis et calamitatibus aliquando praemi atque afflictari; contra autem homines improbos bonis physicis atque forrunis cumulari et beari. Nulli fere sunt illibatae etiam vitae homines, qui improborum invidiam, calumniam, vexationem experti non fuerint. Re quidem vera honestissimi homines plurimi auctoritate, opibus, aliisque huius vitae fortunis beari existunt. Sed humanae vitae historia demonstrat, perversissimos quoque homines omnibus huius vitae bonis floruisse. *Virtus* persaepe *laudatur et alget*, immo non desunt scelestissimi homines, apud quos non virtus, sed vitium in praetio habetur.

Haec quidem mala genuit hominum improbitas. At calamitates publicae, quibus humanum genus aliquando castigat divina iustitia et bonitas, malos bonosque communi icta feriunt; immo saepe contingit, ut calamitatibus illis minus obnoxii sint homines criminibus immersi. Ita fames, pestis, atrox bellum in homines innocentes aliquando saeviunt, et reis parcunt. Adoranda quidem est divina providentia, quae res omnes ad perfectissimos fines dirigit; sed in animum sibi inducere quis poterit, Deum infinita iustitia praeditum bona et mala, fortunas atque calamitates tanta hominum bonorum iniuria in genus humanum effundere, legis divinae praevaricatores beneficiis cumulare, contra vero eiusdem legis fideles observatores miseris adfligere? Internum quidem

purae conscientiae solatium maxime felicitatis loco esse debet. At quisquis propriam conscientiam interrogaverit, is procul dubio fatebitur, se non ita adfectum sentire animum, ut bona omnia, existimationem, quietem, vitamque ipsam profunderere paratus sit sine ulla praemii spe, sine ullo tormentorum metu. Nemo certe sibi persuadebit, *Dei amicos* tot tantisque miseris in hac vita aliquando cruciari, nisi Deus in altera beatorum vita iis praemia rependat, contra autem perversis hominibus *Deique inimicis* supplicia. Sine altero vitae futurae statu Deus foret iniquus bonorum malorumque dispensator. In Deo autem vel minimam iniustitiam cogitare horret animum. Et re quidem ipsa gentiles philosophi qui futurum alterius vitae statum negarunt, divinam quoque providentiam omnemque religionem negare non dubitarunt.

..... *Omnia rebar*
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci.
Sed quum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, laetosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Religio ut canit poëta Claud.

Prob. 3. ex ipsa societatis civilis natura. Hoc probationis genus, de quo frequentem antea mentionem iniecit, hic proprio loco fusius explicandum est. Ea est societatis civilis forma atque constitutio, ut legum vi crimina publica refrnari quidem possint; at legibus nequaquam reprimuntur privata occultaque scelera, quae tamen

societati civili longe graviora adferunt damna. Et quidem si manifestum inimicum quis habuerit, cum facilius repellat; at si occultus hostis clanculum et veluti per cuniculus alteri insidiatus fuerit, iam dolus evitari vix poterit. Nemo nescit, quot et quanta ex hominum improborum fraudum, malis artibus, atque ex omni occultorum criminum genere in societatem civilem detrimenta redundaverint. Praeterea nec vitia omnia legum civilium freno comprimuntur, nec virtutes omnes severe praescribuntur. Etenim libidini, cupiditati, ambitioni, superbiae aliisque internis id genus vitiis plurimis nullas poenas, nulla frena ponunt leges. Amor proximi, liberalitas in pauperes, erga adflictos atque oppressos benignitas, accepti beneficii memor gratusque animus aliaque virtutes multae nulla lege civili stricte praecipuntur. Porro si tot tantisque criminibus nulla parata sint supplicia neque in hac vita neque in futuro alterius vitae statu; in humanam societatem pleno agmine irruerent scelera omnia, atque hinc totius societatis pernicietas atque exitium. Simili modo si beneficos liberalesque homines, acceptorum beneficiorum memores aliisque virtutibus praeditos nulla maneat praemii spes; de omnibus societatis humanae officiis actum omnino esset, nulla foret mutua hominum amicitia, nulla liberalitas, nulla beneficiorum memoria, miseris oppressi languescerent inopes et perirent. De his singulis virtutibus idem dici posset, quod de *grato animo* praeclare scribit Seneca *de benef. lib. 4.*: *ut scias per se expetendam esse grati animi adfectionem, per*

se fugienda res est ingratum esse, quoniam nihil aequae concordiam humani generis dissociat ac distrahit, quam hoc vitium. Haec de criminibus occultis, quae civilibus poenis subiacerere non possunt, atque etiam de virtutibus plurimis, quae stricta legum civilium vi non iubentur, satis dicta sint. Ex quibus demonstratum omnino est, civilem societatem, quae mutuis hominum officiis coalescere et coagmentari debet, sine praemiorum spe et poenarum metu vigere non posse.

Quod spectat ad crimina manifesta et in tribunalium luce posita, haec quidem civilibus legibus castigantur; validissimum iustitiae propugnaculum sunt poenae legibus constitutae, quantum hominibus licet. Verum ad servandam societatis civilis salutem hae satis non sunt: poenas divinas aliumque vitae futurae statum adiungi necesse est. Et quidem scelera committuntur plurima, quae civilium legum poenas effugiunt: furta, homicidia aliaque gravissima scelera fuga aliisque artibus inulta persaepe remanent, et suppliciis civilibus esse subducunt. Leges humanae ad iustitiae normam et severitatem non semper sunt compositae: aequissimae etiam leges singulos casus continere non possunt. Leges exsequi datum aliquando est hominibus animi debiliore, vel parum perspicacis, aut etiam facile expugnandi et corrumpendi. Integerrimi etiam iudices legum custodiam non ita possunt invigilare, ut illorum diligentiam non lateant crimina plurima. Tandem in potentiores viros leges humanae semper saevire non possunt. Porro exigit societatis civilis salus atque fir-

mitas, ut nullum sit huius societatis caput, nullum membrum, quod poenis temperari et coërceri non possit: illae autem poenae divinae sunt. Talis enim est aliquando rerum constitutio, ut praepotentes homines infirmam nulliusque auctoritatis plebem facile et impune possint invadere atque opprimere. Ipsi etiam legislatores atque principes aliis hominibus superiores a supremo rerum omnium domino castigari debent, suarumque legum et actionum rationem reddere; alioqui leges iniquissimas citra ullum poenae metum statuere liceret, atque hinc societatis perturbatio nasceretur et ruina. Huic argumento adiungetur vis maxima, si attendamus, homines non solum metu poenae a vitiis deterreri, sed etiam praemii spe ad virtutem incitari. *Neque solum, ut Solonis dictum usurpem, qui et sapientissimus fuit ex septem, et legum scriptor solus ex septem. Is rempublicam duobus contineri dixit, praemio et poena: Cic. ad Brutum epist. 15.* Et certe aequitatis ratio postulat, ut sua sint virtuti praemia, non secus ac vitio supplicia. Porro nullam virtuti mercedem constituunt leges civiles: quidquid praemii habet virtus, id totum ipsi principis virtuti aut benefici superioris liberalitati tribuitur. Non solum virtuti nullum beneficium decernunt leges, sed ne decernere quidem possunt. Etenim de vera genuinaque virtute vix unquam certum iudicium ferre licet. Quae apparet hominibus virtus, persaepe virtutis larva est atque ostentatio; neque enim actio omnis, quae honestatis speciem praesefert, reipsa honesta est. Multae hominum actiones specie te-

nus honestae ambitionis, superbiae, gloriolae laebe inficiuntur atque corrumpuntur. Porro latentem in humanis actionibus fallaciam solus detegere potest, qui *scrutatur corda* omnesque humanae conscientiae latebras, nempe Deus omniscius, cui perspecta ut praesentia sunt omnia. Quamvis ergo in societate civili sua esse debeant virtuti praemia atque incitamenta; quia tamen non raro fit, ut falsa atque ementita virtus haud debitam mercedem iniuste usurpet; hinc manifestum est virtutis criterium ad alium pertinere iudicem, qui falli nescit, qui nostras actiones singulas ad iustitiae trutinam expendit, easque proinde si bonae sint, infinita sua bonitate mercede donabit, sin autem malae, poenis damnabit.

Prob. 4. ex omnium gentium consensu. Antiquis philosophis atque legislatoribus ita persuasum fuit, sine futuro alterius vitae statu bene moratam exstare non posse societatem, ut futuri status dogma legum omnium fronti praefixerit, et velut reipublicae basim atque fundamentum constituerint. Poetae graeci vetustiores Musaeus, Orphaeus, Homerus, Hesiodus, qui theologiam per vulgari sua aetate opinionibus accommodatam reliquerunt, praemiorum poenarumque dogma primo loco possidere. Insigne est hac de re Plutarchi testimonium in *tractatu adversus Coloten epicureum: terram omnem undequaque contempleris; urbes nullis propugnaculis munitas atque defensas invenies, sine litteris atque doctrina, sine magistratu, sine privatis habitationibus, sine artibus, sine monetarum usu; at nullam invenies*

civitatem, quae Dei religionisque cognitione omnino destituatur, sine oraculis, sine iureiurando, sine sacrificiis, sine deprecationibus, quibus bona sibi concilient homines, mala autem avertant. Idem scriptor magna doctrinae varietate illustris in consolatione ad Apollonium adfirmat: *ita antiquam esse de futuris in altera vita praemiis et poenis hominum opinionem, ut eius originem atque auctorem invenire minime potuerit.* Illud idem dogma longe antea adfirmaverant Cicero et Seneca. *Vt Deos esse natura opinamur, qualesque sint ratione cognoscimus, sic permanere animos arbitraturam consensu notionum omnium:* ait Cicer. *tuscul. disp. lib. 1. cap. 16.* et Seneca *epist. 117.* haec habet verba: *quum de animarum aeternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum aut timentium inferos aut colentium.* Prolixius foret alia referre veterum scriptorum testimonia. Satius erit eas expendere, quibus innitebantur rationes, quae quidem recentiores nostrorum temporum incredulos in tanta sanctae fidei religionisque luce pudore suffundere debent. Timaeus locrensis Pythagorae discipulus philosophiae moralis praeccepta explicans, poenarum terrorem perversis hominibus tandem incutit his verbis: *his incutiendus est poenarum metus, quas civiles leges infligunt, atque eas quas ex alto coelo imisque inferis fulminat religionis terror.* *Haec ultimae poenae aeternae sunt perversorum hominum umbris destinatae, horum tormentorum fides, quam perpetuae traditionis auctoritas propaga-*

vit, mentem ab omni vitio purgare potest. Luculentissimum huius dogmatis testimonium praebet Polybius, qui, demandata sibi legum conscribendarum cura, Graeciam in potestatem romanorum redactam ita adloquitur: *insulse omnino agunt, qui poenarum timorem ex hominum animis evellere conantur, qui timoris frenum adspernantur, et velut inane terriculum traducunt.* Quid inde consequitur? *In Graecia, ut de sola natione loquar, nihil ad fidelitatem cogere et excitare potest eos, qui publicam tractant pecuniam.* *Apud romanos e contrario sola religio fidem in negotiis pecuniisque tractandis conservat, in legationibus administrandis diligentiam excitat.* *In aliis gentibus rari sunt homines, qui in publicis negotiis constituti aes publicum non conradant; at apud romanos nihil rarius, quam vel unum huius criminis reum invenire.* Summa quidem attentione perpendi debent haec praeclarissima ad graecos populares suos Polybii documenta. Ruentem Graeciae auctoritatem collabentemque potentiam ex poenarum divinarum contentu repetit; contra autem romani splendoris originem ex religionis amore deorumque timore derivat, Strenue invehitur Polybius in corruptos graecorum mores, quorum depravatione enervata Graecia magis, quam romanorum armis expugnata fuerat et devicta. Has virtutis scintillas accendere potuit falsa religio: haec in profanis philosophis fuisse virtutum semina, ex quibus sane colligere licet, omnium animis veluti insitum esse dogma de futuris in altera vita poenis atque praemiis. Et

Tom. VI. I

re quidem ipsa dogma illud, quod tempore suo apud omnes populos viguisse, testatur Cicero, etiamnum hodie apud barbaras incultasque gentes servari, viatorum auctoritate notum est. Mexicanos, peruvianos canadensesque incolas non sine aliqua religione et alterius vitae spe atque timore repertos fuisse, referunt integerrimae fidei scriptores. Sed haec satis dicta sint de populorum hac in re consensu. Quae enim ex ratiocinatione philosophica desumuntur argumenta, vim habent veterum philosophorum opinione et religione longevae maiorem. Quare tandem concludimus: dogma illud non solum divina revelatione certissimum est, sed etiam adversus incredulos homines ex solis philosophiae moralis principiis potest demonstrari, quod ex animae rationalis natura, ex divina iustitia, ex natura societatis civilis, ex summo veterum philosophorum consensu ostenditur; atque ex his omnibus constat, in futurae vitae statu bonos manere praemia, malos autem poenas; ergo vera est conclusio. Porro observandum est diligenter, in hac quaestione sermonem non esse de praemiorum et poenarum aeternitate, quam docet divina revelatio. Data tamen obiectionum occasione de hac altera huius dogmatis parte exponemus nonnulla, quantum philosophis facere licet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

Obiect. 1. Incomprehensibilia Dei iudicia eiusque vias investigabiles finita nostra atque im-

perfectissima ratio non potest intelligere. Nostri autem, qui de natura divina illiusque divinis perfectionibus nihil fere novimus, maxima temeritas est Dei consilia scrutari, finesque in condendo hoc universo ab infinito creatore constitutos investigare; ergo absque ullo fundamento statuitur conclusio. Resp. dist. ant, incomprehensibilia sunt iudicia Dei, hoc est, rationis nostrae limites excedunt, C. ant., hoc est, rationi sunt contraria, N. ant. et cons. Re quidem vera divina attributa et iudicia intellectum humanum longe superant. Verum, ut tollatur huius obiectionis ambiguitas, ex metaphysica repetendum est, quid per *incomprehensibilitatem* intelligi debeat. *Incomprehensibile* dicitur aliquid, si modum, quo est vel esse potest, nobis repraesentare non valeamus. Itaque aliud est cognoscere, rem aliquam existere vel esse possibilem, aliud est percipere modum, quo res ipsa existit vel potest existere. Ita si quis mechanicae artis imperitus videat horologium, cognoscit, horologium existere, ideoque esse possibile. At non percipit horologii artificium, quod proinde ei incomprehensibile est, donec mechanicae artis peritus fiat. Ad faciliorem intelligentiam hoc utimur exemplo, licet sit longe imperfectissimum. Deus enim, utpote infinitus, est incomprehensibilis etiam iis qui fruuntur *visione Dei intuitiva*. At quamvis Deus comprehendi non possit, illum tamen existere, infinite perfectum esse, infinita esse illius attributa, solo rationis lumine cognoscimus. Porro rectae rationi repugnat in Deo infinite perfecto vel levissimam imperfectionis labem

susplicari. Itaque sola ratione novimus, Deum contra iustitiae et bonitatis leges peccare non posse. Porro in divina iustitia illiusque infinita bonitate fundatur potissimum huius conclusionis probatio. Igitur quamvis divina attributa non comprehendamus, solo tamen rationis usu cognoscimus, Deum nihil facere posse, quod sit divinis attributis contrarium. Nos vero probavimus, divinis attributis repugnare impiissimum quorundam hominum systema, qui post corporis mortem nihil sperandum, nihil timendum esse, scelesto ore et reluctantem conscientia adfirmant. Itaque verum quidem est, incomprehensibilia esse divina attributa et iudicia in eo, quem explicavimus sensu. Atque optandum maxime foret, ut ii, contra quos disputamus, perditissimi homines sua non superbirent ratione, eaque non abuterentur ad scrutanda fidei mysteria; sed talis est impietatis natura, ut rationis usum, ubi valere potest, respuat; velit autem, atque omnino exigat, ubi mysteriorum sublimitas rationis nostrae imbecillitatem infinite superat.

Obiect. 2. Deus nihil debet creaturis: rectae rationi repugnat, artificem aliquem manuum suarum operibus aliquid debere: multo magis rationi contrarium est, Deum infinitum imperfectissimae creaturae debitorem esse; contra quidquid habet creatura, id totum Deo referre debet: *o homo! Tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus lutum ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?* Ait Apostolus

ad Rom. cap. 9. v. 20. et 21. Unde sic argumentari licet: ex divina iustitia ostendi non potest alius vitae futurae status, si Deus ratione iustitiae nihil debeat creaturis; atqui Deus ratione iustitiae nihil debet creaturis; ergo falsa est conclusio. Resp. dist. mai. si Deus nihil debeat creaturis, neque sibi ipsi seu infinitis suis perfectionibus, C. mai., si Deus suis infinitis perfectionibus aliquid debeat, hoc est, si nihil facere possit, quod sit divinis perfectionibus contrarium, N. mai., et dist. min. N. cons. Hanc obiectionem, quae cum sacra theologia coniuncta est, quantum patitur ratio philosophica, explicabimus atque solvemus. Re quidem vera quidquid sumus, id totum Deo acceptum referre debemus. Ex nihilo nos eduxit Deus: anima rationali et libera nos donavit: quidquid liberi arbitrii abusu peccamus, id nostrum est. Deus enim infinite perfectus peccatum nec velle nec agere potest. *Quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus... homines, qui et essemus, et viveremus, et sentiremus, et intelligeremus;* ut scribit S. Augustinus *epist. 177.* Hae quidem gratiae sunt *in ordine naturali*, et ad vitam nostram mortalem referuntur. At quidquid boni facimus *in ordine supernaturali*, seu in ordine ad vitam aeternam, id non solis naturae et liberi arbitrii viribus facimus, sed speciali gratiae auxilio adiuti. Deus quidem nihil debet creaturae, libera voluntate nos creavit, suaeque infinita bonitate praestantissimis donis nos ornavit: gratiae nobis collatae sunt omnino *gratuitae*. Verum Deus suis perfectionibus

infinite obligatur, hoc est, nihil facere potest, quod infinite perfectioni contrarium sit, quod divinae iustitiae repugnet; *numquid iniquitas apud Deum?* Itaque quidquid sit de *gratuita praedestinatione ad gloriam ante vel post praevisa merita*, quae est quaestio gravissima inter theologos agitata; divinae iustitiae consentaneum est, *ut reddat unicuique secundum opera eius*. Praemium in altera vita merito appellatur *merces, bravium, corona iustitiae* saltem *in ordine executionis*, ut loquuntur theologo. Nempe Deus decrevit efficaciter quibusdam *gratuito* conferre salutem aeternam: confert quoque *gratuito* auxilia, quae ad illam comparandam sunt necessaria: tandem postulat divina iustitia et bonitas, ut vitam aeternam absequantur, qui eam per virtutis exercitium meruerint. Haec quidem breviter artigimus, non ut theologos ageremus aut incomprehensibile scrutaremur divinae praedestinationis arcanum; sed tantum demonstrare voluimus, mysterium illud, quod rationem humanam longe transcendit, rationi tamen contrarium non esse.

Obiect. 5. Praemiorum poenarumque status in altera vita vel aeternus foret, vel ad definitum tempus dumtaxat; utrumque autem repugnat. Et primum quidem a divina bonitate et clementia abhorret fugientis breviorisque temporis peccato decerni poenas aeternas. Et re quidem ipsa, ut aiebat Origenes, poenae sunt veluti remedia ad tempus praescripta, quibus aegroti salutem recuperent, non autem in aeternum pereant, aeternisque crucientur doloribus. Itaque repugnat, ae-

ternum esse poenarum statum. Verum si ad certum tempus constituentur poenae, iam habere non possunt eam vim et efficaciam, qua positivam obligationem inducant, hominesque in suo officio coërceant. His positus sic argumentantur increduli quidam viri: vel poenae sunt aeternae, vel certo tempore limitatae; atqui utrumque repugnat: Primum divinae misericordiae contrarium est; alterum autem foret inutile. Quum enim poenae ad definitum tempus infligerentur, miseris spes esset, poenis illis finem aliquando futurum esse; et praeterea hunc poenarum statum, existimarent perversi homines, satis compensari ea voluptate qua alliciuntur, qui suis cupiditatibus indulgent; ergo nullo fundamento nititur conclusio. Resp. N. min. Dogma de poenarum praemiorumque aeternitate certissima fide adserimus; illudque divinae bonitati contrarium non esse ostendemus. Ex divina bonitate argumentum sumsit Origenes ad negandam poenarum aeternitatem; quam quidem obiectionem his nostris temporibus maxime iactant increduli homines, his rationibus refellendi. Peccatum *ratione obiecti*, ut dicunt theologo, seu ratione Dei offensi est infinitum, malitiam nempe habet infinitam; quam proinde non repugnat poenis aeternis castigari. Porro heic sermo est dumtaxat de peccato *gravi et letali*. De peccatorum distinctione et malitia deinde disseremus. Aeternitatis poenarum hanc aliam rationem reddunt aliqui: Deus nempe aeternae felicitatis vel infelicitatis electionem hominibus relinquit: *perditio tua ex te*; nulla ergo est in Deo iniustitia, quum praemia poe-

nis aequaverit, et alterutrum eligendi potestatem hominibus fecerit. Non solum bonitati divinae contraria non est poenarum aeternitas, sed contra maxime consentanea. Et quidem *sanctionis poenalis* unicus scopus non est, ut crimina puniantur, sed etiam ut homines a criminibus arceantur. Itaque in constituendis criminum poenis non sola iustitia considerari debet, sed etiam legislatoris sapientia et bonitas. Quo gravior est poena, eo maiori efficacia ad virtutem excitantur homines, eo maior est legislatoris bonitas: *etiam in inferno misericors Deus*: ut verbis Tertulliani utar. Et quidem in societate civili iniustum minime reputatur, si aliquis in poenam gravioris criminis, quod brevissimo etiam tempore admisit, bonorum omnium, libertatis atque etiam vitae iactura plectatur. Haec quod ad primam obiectionis partem satis sint, ex quibus manifeste evincitur, poenarum aeternitatem divina revelatione, catholica fide credendam, rectae rationi minime repugnare, immo divinae sapientiae et bonitati esse omnino consonam.

Quod spectat ad alteram obiectionis partem, quam quidem falso proponi divinae revelationis auctoritate certo novimus, *argumento ad hominem* adversarios refellemus. Si enim ad homines in suis officiis coercendos inutilis, vel saltem non satis efficax sit definito tempore constitutus poenarum status; ergo postulat divina bonitas illiusque infinita sapientia statum hunc esse aeternum. Poenarum aeternitatem divinae bonitati contrariam non esse, iam demonstravimus. At si id a nobis

demonstratum negent adversarii, saltem concedant necesse est, neque a se ipsis demonstratum poenas aeternas divinae bonitati repugnare, ac proinde de hac veritate dubitationem aliquam sibi superesse, fateri debent. Porro vel minima probabilitas in re tanti momenti, in qua de aeternitate agitur, et salus aeterna periclitatur, ipsos quoque scelestissimos incredulosque homines ad virtutem excitare et a vitiis avertere deberet. Et enim suavissimas, quas tam avide consecantur, voluptatum illecebras attendente mente conferant cum levissima etiam poenarum aeternarum probabilitate. Praesentes humanae vitae delicias aeternae vitae probabilitati longe postponet, quisquis cupiditate abreptum et excaecatum non habuerit animum. Et certe eo maiorem mali alicuius timorem debemus concipere, quo maior est vis mali, quo diuturnior, et quo maior illius certitudo. Porro etiamsi minimam aeternarum poenarum probabilitatem adversariis concederemus, quod quidem cogitare absit; infinite tamen gravis esse deberet poenarum metus, quum malum timendum sit infinitum. Contra autem humanae vitae voluptates non solum finitae sunt, sed etiam doloribus poenisque perfusae atque corruptae. Infinites ergo timenda sunt aeterna supplicia: nihil autem expetendae voluptatum illecebrae, quae tantum malum nobis creare possunt. Sed haec omnia dicta sunt tantum in adversariorum hypotesi, quam impiam et fidei contrariam esse, certo tenere debemus.

Antequam huic quaestioni finem imponamus, observandum est, ab antiquis philosophis non so-

lum admissum fuisse alterius vitae statum, ut iam ostendimus, sed eum quoque summo eorundem philosophorum consensu aeternum fuisse reputatum; idque incredulis etiam viris ita persuasum fuit, ut ex iis aliqui obiecerint, scriptores sacros dogma de poenarum aeternitate ex graecorum poëtarum fabulis descripsisse. Id vero obicium sine ullo fundamento, non sine crassa veterum temporum ignorantia. Moyses, qui *Deuter. cap. 32. v. 22.* poenarum aeternitatem isaëlitis comminatur, Homeri aetatem multis saeculis antecessit. *Iob cap. 24.* supplicia aeterna reprobis expresse declarat. Porro sive Iob Moysi coaetaneus fuerit, sive, ut nonnullis criticis placuit, liber, qui nomine Iob auctor circa tempus troianae obsidionis, quam Homerus quadringentes post annos verbis tradidit. *Isaias cap. 66. v. 24.* aeterna reproborum tormenta tremendis verbis exprimit. Vixit quidem Isaias Homeri atque Hesiodi temporibus circiter; at qui fieri potuit, ut Isaias aeternitatis dogma hauserit ex illis poëtis, quorum opera longe post eorundem poëtarum mortem Pistrati cura et labore collecta fuere, et in ordinem reducta? Haec autem vana quorundam incredulorum effugia quum praevidissent alii haud melioris doctrinae viri, ullam apud scriptores sacros de poenarum aeternitate expressam mentionem haberi negarunt, atque aeternitatis nomine longum et indefinitum tempus in scriptura sacra designati adserunt. Varia laudant huius significationis exempla. Ita in *epist. Iud. v. 7.* de urbium Sodomae

et Gomorrhæ incendio legitur: *ignis aeterni poenam sustinentes*; hoc est, ignis non extinguendi, donec urbes illae flammis fuerint absumentae, et in cineres redactae. Ita etiam in sacra scriptura habetur: *terra autem in aeternum stat.* Verum impiissimi, contra quos disputamus, sacrae scripturae interpretes futurae vitae statum admittunt, cumque aeternum, quod ad praemia. Hi autem parum sibi constant; quum Christus Dominus praemiorum poenarumque aeternitatem iisdem verbis exprimat *Matth. cap. 25. v. ult. : ibunt hi in supplicium aeternum; iusti autem in vitam aeternam.* Tandem si aeternitatis nomen diversae significationi aliquando obnoxium sit, ambiguitatem dirimunt sexcenta alia sacrae scripturae testimonia, quae poenarum aeternitatem manifestis verbis significant. Satis sit iam laudatum Isaiæ testimonium: *videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Superest, ut divinam imploremus gratiam, quae faciat nos amorem Dei et timorem habere perpetuum, et ibi nostra fixa esse corda, ubi vera sunt gaudia.

CAPVT III.

De hominis beatitudine et summo bono.

De hoc argumento in philosophia morali multum disputatum est. Varias philosophorum opiniones, data occasione, recensēbimus. Non vero hominis beatitudinem a summo bono non distinguimus. At